

quod de ligno vitæ ante peccatum sumpserint, quibus præceptum erat, ut de omni ligno paradisi comederent, nisi de ligno scientiæ boni & mali.

Quare non sunt facti immortales, si comederunt de ligno vitæ.

Quare ergo perpetua soliditate, & beata immortalitate vestiti non sunt, ut nulla infirmitate, vel ætate in deterius mutarentur? Hanc enim virtutem naturaliter illud lignum habuisse dicitur. Sed forte hoc non conferebat, nisi sæpe de illo sumeretur. Potuit ergo fieri ut de illo sumeret semel, & non sapius, qui per aliquam moram in paradiso fuisse intelligitur, cum Scriptura dicat eum ibi soporatum fuisse, quando costa de latere ejus assumpta est, & inde formata mulier, & animalia ante eum ducta, quibus nomina imposuit.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit de gratia absolute, hic determinat de ea per comparisonem ad statum primi hominis in primo statu: & dividitur in partes duas. In prima inquiri, an homo in primo statu gratiam habuerit; in secunda determinat quam poenam pro peccato incurrerit, ibi: *In illius quoque peccati poenam eiectus est de paradiso.* Circa primum duo facit. Primo inquiri, an homo in primo statu gratia egerit; secundo an virtutes gratuitas habuerit, ibi: (1) *Præterea quæri solet utrum homo ante lapsum virtutes habuerit.*

In illius quoque peccati poenam eiectus est de paradiso. Hic determinat poenam quam homo incurrit pro peccato, quo gratiam, & virtutem amisit: & dividitur in duo. Primo determinat poenam; secundo ostendit veritatem ejusdem questionis ex prædictis occasionata, ibi: *Potest etiam quæri, utrum de ligno vitæ ante peccatum comederit homo.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod Adam pro peccato & locum deliciarum, & cibum saluberrimum amisit; secundo quomodo impeditus est ab ejus recuperatione, ibi: *Ne vero posset ad illud accedere, collocavit Deus ante paradisum Cherubin.* Circa primum duo facit. Primo ostendit poenam ex verbis Scripturæ; secundo movet (2) quamdam dubitationem ex verbis illis: quam primo movet, ibi: *His verbis insinuari videtur quod nunquam moreretur, si postea de illo ligno sumpisset;* secundo solvit, ibi: *Sed quia per peccatum jam mortuum corpus habebat, illa verba ex tali intellectu accipi possunt.*

Potest autem quæri, utrum de ligno vitæ ante peccatum comederit homo. Hic movet quamdam dubitationem ex prædictis occasionatam, scilicet an homo ante peccatum de ligno vitæ comederit: & primo determinat quod sic; secundo movet iterum dubitationem contra hæc ortam, & determinat eam, ibi: *Quare ergo perpetua soliditate, & beata immortalitate vestiti non sunt.*

QUESTIO I.

Hic quinque quærantur. Primo. An homo in statu innocentie gratia indiguerit.

Secundo. An gratiam habuit.

Tertio. Si habuit, utrum gratia humani generis, si in innocentia persistisset, fuisset major quam modo sit.

Quarto. Utrum actus humani fuissent efficaciores ad merendum.

Quinto. De poena quæ in littera ponitur hominem (3) propter primam transgressionem consecuta.

(1) Al. Primum. (2) Al. quasdam dubitationes. (3) Al. propria transgressionem consecuta.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Una absoluta, quæ est ex prioribus causis, ut ex materiali, & formali, ex quibus componuntur res; ut quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi, & hujusmodi. Alia vero est conditionata ex suppositione finis; ut si terra debeat facere serræ opus, scilicet sectionem, necesse est eam dentes ferreos habere. Hæc autem necessitas est duplex: quædam scilicet sine qua non potest haberi finis intentus, sicut sine cibo non potest haberi conservatio vitæ; quædam vero sine qua non potest aliquis ad finem de facili pertingere, sicut dicitur equus necessarius homini ad peragendum iter: & nomen utilitatis commune est utrique horum necessitatis ultimo positorum; sed nomen indigentie magis se habet ad primum modum eorum: illo enim proprie dicitur indigere sine quo finem consequi non possumus. Secundum hoc dico, quod homo ante peccatum gratia indigebat, quia sine gratia finem vitæ æternæ nullo modo consequi potuisset: ad finem enim non pervenitur nisi per opera proportionata fini; vita autem æterna est finis omnino nature humanæ facultatem excedens: unde etiam intellectum, & desiderium superat: I. Corinth. II. *Oculus non vidit, (1) & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum.* Ideo oportet quod opera per quæ ad vitam æternam pervenitur, vires nature humanæ excedant: unde in ea homo non potest sine aliquo dono naturalibus addito: & ideo quantumcumque natura humana sit integra, nihilominus homo gratia indiget ad vitam æternam consequendam.

Ad primum ergo dicendum, quod unumquodque bonum Deus acceptat secundum mensuram suæ bonitatis; sed illud simpliciter à Deo acceptari dicitur cui ab ipso preparatur illa gloria qua ipse gloriosus est, scilicet visio ejus per essentiam.

Ad secundum dicendum, quod homo ante peccatum etiam operante gratia egebat. Gratia enim operanti aliquid per se convenit, & aliquid per accidens: per se enim sibi convenit ut hominem justum formaliter faciat, & Deo gratum; sed hoc accidit sibi ut justum ex injusto faciat ex parte subjecti, in quo injustitia invenitur: hoc etiam per se est, sibi conveniens ut ex non justo justum faciat, vel ex non grato gratum, sicut albedinis est ex non albo facere album; sed hoc albedini accidit ut ex nigro album faciat. Similiter etiam gratia cooperantis non est ut solam (2) facilitatem faciat in operando, hoc enim hæc Pelagiana ponebat, sed ut efficaciam, & virtutem quamdam novam operibus hominum præbeat, scilicet merendi vitam æternam.

Ad tertium dicendum, quod non potest esse aliqua creatura quæ ex propriis naturalibus vitam æternam promereri possit, sicut non potest esse aliqua creatura quæ nature divinæ æquetur: nec hoc omnipotentie Dei derogat. Et hoc patet ex his quæ supra dicta sunt.

Ad quartum dicendum, quod carentia divinæ visionis potest intelligi dupliciter. Vel negativè; & sic

In II. Sent. Tom. II. *ascendit &c.* (2) Al. facultatem.

(1) Vulgata: *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit &c.* (2) Al. facultatem. Ex Edit. P. NICOL. (a) Nec in veteri Glossa, nec in nova occurrit, sed in additamento Lyranæ tantum quod per hominem descendente ab Hierusalem in Hierico, & spoliatum à latronibus, ac vulneratum, intelligitur moraliter peccator à justitiæ statu in peccatum descendens, qui spoliatur à demonibus bonis gratia, & in bonis nature vulneratur.

non est poena; sed defectus nature creatam consequens: nulla enim natura creata ex se sufficiens est ad Dei visionem: & sic fuisset carentia divinæ visionis in homine ante peccatum, si gratiam non habuisset. Alio modo potest sumi privative, ut intelligatur aliqua obnoxietas ad cendum Dei visionem; & sic est poena peccati, & in primo statu non fuisset. Ad quintum dicendum, quod similitudo Dei quæ convenit homini, secundum sua naturalia est alia ab illa qua homo assimilatur Deo per gratiam. Nec est inconveniens ut homo in pluribus Deo assimiletur, eo quod secundum quemlibet gradum bonitatis superadditum nova similitudo in creaturis ad Deum consurgit.

ARTICULUS II.

Utrum homo ante peccatum habuerit gratiam, ibi: *T. P. quæst. xcvi. art. I.*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod homo ante peccatum gratiam non habuerit. Quicumque enim habet gratiam, potest proficere ad meritum vitæ; eo quod per gratiam mereatur quis augmentum gratiæ, & ejus consummationem. Sed, ut supra Magister dixit xvi. disti. homo in primo statu non habuit unde ad meritum vitæ proficere posset. Ergo gratiam non habuit.

Præterea Major est potestas gratiæ quam nature. Sed quanto peccans est majoris potestatis, tanto gravius est peccatum ejus. Si ergo homo à statu gratiæ cecidisset, cum Angelis ante lapsum gratiam non habuerit, ut multi dicunt, videtur quod peccatum hominis gravius quam peccatum demonis fuisset: quod supra negatum est.

Præterea. Gratia magis convenit cum gloria quam cum natura. Sed gratia tempore in homine gloriam præcedit. Ergo multo fortius natura gratiam; & sic in primo statu gratiam non habuit. Præterea. Gratia quantum in se est, hominem in Deum promovet. Cum igitur in homine ante statum peccati, nihil esset trahens ipsum inferius, videtur quod si gratiam habuisset, nunquam peccavisset. Peccavit autem igitur gratiam non habuit. Præterea. Ea quæ homo per primum peccatum amisit, sibi restituta non sunt, sicut impassibilitas, & hujusmodi. Si ergo gratiam in statu innocentie habuisset, eam per peccatum amissam per poenitentiam non recuperasset. Hoc autem falsum est, quia sic totum humanum genus periret. Ergo gratiam in primo statu non habuit.

Sed contra. Nullus spoliatur illis quæ non habet. Sed homo per peccatum fuit vulneratus in naturalibus; & spoliatus gratuitis, ut dicitur in Glossa (a) Lucæ x. Ergo gratiam habuit.

Præterea. Caritas nunquam est informis. In littera autem probatur quod Adam in primo statu charitatem habuit. Ergo & gratiam; sine qua non est caritas.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est triplex opinio. Prima dicitur quod homo ante peccatum non habuit gratiam, sed deus in eo operante gratia egebat. Secunda dicitur quod homo ante peccatum habuit gratiam, sed deus in eo operante gratia egebat. Tertia dicitur quod homo ante peccatum habuit gratiam, sed deus in eo operante gratia egebat.

Ad primum ergo dicendum, quod unumquodque bonum Deus acceptat secundum mensuram suæ bonitatis; sed illud simpliciter à Deo acceptari dicitur cui ab ipso preparatur illa gloria qua ipse gloriosus est, scilicet visio ejus per essentiam.

Quidam enim dicunt, quod homo in primo statu gratiam non habuit, nec virtutes gratuitas. Omnes autem auctoritates Sanctorum quas Magister in littera inducit ad probandum homini virtutes infuisse, exponunt de virtutibus naturalibus, quæ in ipso propter integritatem humanæ naturæ excellentissime erant. Sed hoc non videtur auctoritatibus convenire, in quibus ponitur quod Adam charitatem habuit, quæ sine gratia non haberetur, & plura alia dicuntur, quæ non nisi extorte ad virtutes naturales referri possunt.

Alii vero distinguunt statum innocentie in duos status: idicunt enim, quod homo in principio creationis suæ sine gratia creatus est in naturalibus tantum; postmodum vero ante peccatum gratiam consecutus est: & secundum hanc distinctionem, varia dicta Sanctorum, & doctorum concordari videntur. Sed istud non videtur convenire dictis Sanctorum, & doctorum, qui de statu innocentie quasi de uno statu non distincto loquuntur: & ideo hæc positio non magnæ auctoritatis est.

Ideo alii dicunt, quod homo in principio creationis suæ in gratia creatus est: & hæc quidem positio satis congruere videtur opinioni Augustini, qui ponit res simul tempore perfectas fuisse, & creatas, in materia, & in forma. Prima vero opinio magis congruere videtur opinioni aliorum Sanctorum, qui dicunt per successionem temporis res creatas perfectas fuisse. Quæ tamen harum opinionum verior sit, multum efficaci ratione probari non potest, sicut nec aliquid eorum quæ ex voluntate Dei sola dependent. Hoc tamen probabilius est ut cum homo creatus fuerit in naturalibus integris, quæ otiosa esse non poterant, quod in primo instanti creationis ad Deum conversus, gratiam consecutus sit: & ideo hanc opinionem sustinendo dicendum est. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod sicut secundum Augustinum, Lib. I. super Genes. ad lit. cap. 1. & 11. distinctio primorum dierum attenditur secundum ordinem naturæ, & non secundum successionem temporis; ita etiam secundum ordinem naturæ status in naturalibus puris ad statum ejus in gratia comparatur, & non secundum ordinem temporis: & sic intelligendum est, quod homo in statu naturalium, intellectum non habuit unde proficere posset, quia dum gratiam habet, non habet hoc ex naturalibus, sed ex gratuitis. Vel dicendum, quod hoc intelligendum est, quod homo non potuit proficere per se, etiam habita gratia ut beatitudinem consequeretur; & hoc supra Magister dixit proficere ad meritum vitæ.

Ad secundum dicendum, quod secundum tertiam opinionem tam homines, quam Angeli in gratuitis creati sunt; & ideo contra eam non est hujusmodi obiectio, sed contra secundam: quam sustinentes, dicimus, quod potentia naturalis hoc modo se habet ad gratiam, quod ipsa subministrat substantiam actus, & gratia præbet efficaciam merendi, informando actum: & sicut majoris perfectionis est forma actus quam ipsa substantia ejus; ita è contrario major defectus est deficere in ipsa substantia actus quam deficere in forma ipsius. Quamvis autem ponatur homo gratiam habuisse, & in hoc Angelo superiorem fuisse; tamen debilius fuit in potentia na-

(1) Supplet Nicolai: quod primus homo gratiam ante peccatum habuerit. Forte continuo sensu legendum: dicendum est ad primum, quod sicut &c. (2) Nicolai, Deus confert. Ex Edit. P. Nicol. (a) Epist. xli. in qua Guidoni Chartusia priori scribit: *Miseremini mei, non quia dignus, sed quoniam inops & pauper sum ego. Justitia meritum quaerit, misericordia miseriam intuetur.*

turali: & ideo defectus potentie naturalis magis excusat peccatum hominis quam defectus gratie peccatum Angeli: unde simpliciter peccatum hominis minus quam peccatum Angeli invenitur.

Ad tertium dicendum, quod per gratiam aliquis mereatur gloriam; & ideo convenienter gratia tempore gloriam præcedit. Sed per naturam non mereatur gratiam: unde nihil impedit ut simul cum natura gratia infundatur.

Ad quartum dicendum, quod in illis quæ agunt per necessitatem naturæ, oportet quod agens de necessitate, agar secundum exigentiam formæ quæ in ipso est, ut per calidum calefaciat. Hoc autem in voluntariis non tenet: unde etiamsi homo gratiam habuerit, nihilominus potest in contrarium actum transire.

Ad quintum dicendum, quod actus personales non attingunt naturam, sed personam: & ideo Adam per poenitentiam quam de peccato egit, potuit recuperare illa bona quæ sibi ad actus personales data erant, sicut gratiam, & virtutes; non autem illa quæ toti naturæ collata erant, ut immortalitas corporis, & obedientia inferiorum virium ad rationem, & hujusmodi.

ARTICULUS III.

Utrum homo in statu primo habuisset tantum de gratia quantum habuit post peccatum.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in primo statu homo non tantum de gratia habuisset quantum post peccatum. Ut enim Philosophus dicit in X. Ethic. cap. xii. ridiculum est temperantiam, & fortitudinem in diis ponere, cum in eis passiones innatæ, & illatæ non sint, circa quas fortitudo, & temperantia medium communicant. Sed in primo statu Adam hujusmodi passionibus caruisset. Ergo & per consequens his virtutibus, quas tamen homo post peccatum habuit gratuitas. Non ergo tot gratias homo ante peccatum habuisset, sicut post habuit.

2. Præterea. Perseverantia quædam virtus est, quam multi post peccatum statum habent. Hæc autem Adæ defuit, ut ejus casus ostendit. Non igitur tot virtutes habuit quot homines in peccato nati habent; & sic idem quod prius.

3. Præterea. Plus indigenti Deus plus tribuit, quia misericordia miseriam intuetur, ut dicit Bernardus. (a) Sed homo plus indiget gratiæ auxilio post peccatum quam ante, cum magis in naturalibus infirmetur. Ergo plus de gratia post peccatum homini (2) confertur quam ante contulisset.

4. Præterea. Deus cum sit summe bonus, ut Augustinus dicit, Lib. de continentia cap. vi. mala esse non permitteret, nisi esset adeo potens ut ex malis bonum eliceret. Sed non ostenderetur perfecte divina bonitas, nisi bonum quod ex malo Deus elicit, excederet illud bonum quod per malum privatur. Ergo bonum hominis, quod ex peccato ejus Deus elicit, excedit illud bonum quod ante peccatum erat, & est postmodum per peccatum privatum; & sic major est gratia post peccatum quam ante.

5. Præterea. Tota plenitudo gratiæ humani generis ex virtute incarnationis, & passionis Christi pro-

cedit: unde dicitur Joan. 1. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Sed si Adam non peccasset, Christus non fuisset incarnatus, ut quidam dicunt; vel saltem non fuisset passus, ut omnes dicunt. Ergo non tanta plenitudo gratiæ fuisset in humano genere ante peccatum, sicut post.

Sed contra. Math. xxv. 15. *Dedit . . . unicuique secundum propriam virtutem:* & exponitur in Glossa de collatione gratiarum. Virtus autem hominum naturalis, major erat ante peccatum quam post. Ergo & plus de gratia consecuti fuissent ante peccatum quam post.

Præterea. Nullus ex peccato reportat commodum. Sed si homo post peccatum majorem gratiam haberet quam ante, commodum ex malo reportaret. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod donorum gratuitorum quædam ordinantur absolute in perfectionem ejus cui conferuntur; quædam autem ad utilitatem aliorum, ut dicitur I. Corinth. xli. 7. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Utilitas autem quædam est, ut defectibus proximorum subveniatur, sicut per operationem signorum infidelitati succurritur, quia signa data sunt non fidelibus, sed infidelibus: I. Corinth. xlv. & similiter est etiam de generibus linguarum, & de aliis hujusmodi donis. Et quia hujusmodi defectus in primo statu non fuissent, ideo etiam nec talia dona homini collata forent, quæ contra hos defectus ordinantur. Dona vero absolute in perfectionem recipientis ordinata sunt ea quibus homo in actibus propriis perficitur & secundum animam, & secundum corpus, sicut est gratia gratum faciens, virtutes, donum scientiæ, & sapientiæ, & hujusmodi, & impassibilitas corporis: & in his homo in primo statu, simpliciter loquendo, magis abundasset quam in secundo statu post peccatum. Sed iste excessus potest considerari dupliciter: vel intensive, vel extensive. Extensive quidem, quia plura de hujusmodi homo in primo statu quam in secundo habuisset: habuit enim impassibilitatem corporis, & perfectam obedientiam inferiorum virium ad rationem, & hujusmodi, quæ in hominibus post peccatum non inveniuntur. Sed verum est quod etiam quædam dona post peccatum sunt quæ imperfectiorem annexam habent, quæ aut in primo statu non fuissent omnino, aut si fuissent, secundum alium modum, & alios actus fuissent; ut tamen hoc intelligatur de imperfectiōne, non quæ naturam consequitur, sed quæ ex peccato consecuta est. Fides enim (3) imperfectiōnem habet consequentem naturam, cujus est divina quasi in speculo intueri; & hoc etiam homini in primo statu congruisset, licet vidisset clarius divina; ut supra dictum est. Et ideo fides in primo statu fuisset etiam secundum ejusdem generis actum, quamvis perfectior quam modo sit. Continentia vero, quæ importat imperfectiōnem in repugnantia passionum ex peccato causata, secundum quod Philosophus continentiam accipit in VII. Ethic. cap. 111. in primo statu non fuisset; & similiter poenitentia, si specialis virtus ponatur, ad minus secundum eosdem actus quos nunc habet: & similis ratio est de aliis similibus. Si autem excessus intensive consideretur, & præcipue quantum ad dona gratum facientia, sic considerando statum ad statum, universaliter homo ante peccatum ampliori gratia

præditus fuisset quam post. Sed tamen non est inconveniens quod aliquis post statum peccati multo majorem gratiam habeat quam aliqui habuissent etiam in primo statu, eo quod gratiæ non tantum dantur secundum mensuram naturalis virtutis, seu capacitatis; sed secundum conatum, quem contingit esse majorem in eo qui minoris virtutis est, sicut etiam dicitur de comparatione hominum novi, & veteris testamenti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Angeli quos Philosophus, X. Eth. cap. x. deos vocat, sicut & Dionysius, de div. Nom. cap. xlii. hujusmodi virtutes cardinales non habeant secundum eosdem actus quibus in nobis sunt; habent tamen eas secundum quosdam eminentiores actus, & præcipue secundum quod constituuntur eorum actus circa finem: & hoc modo in homine etiam ante statum peccati fortitudo, & temperantia esse potuissent. Tamen sciendum est, quod alia ratio est de homine ante peccatum, & de Angelo, & de homine glorificato. Homo enim in primo statu quamvis hujusmodi passionibus actu non subjaceret, tamen naturam haberet quæ, quantum in se est, his passionibus subijcibilis erat; & possibile erat eis subijci, si peccaret, nondum homine confirmato. Sed homo glorificatus, etsi naturam habeat cui secundum se considerata, natæ sunt hujusmodi passiones inesse, tamen per habitum gloriæ omnino aditus his passionibus tollitur. Angelus vero nec naturam, nec passibilitatem respectu harum passionum habet. Unde patet quod hujusmodi virtutes, quantum ad actus qui sunt vitæ, nunc in nobis magis remotæ sunt ab Angelis quam ab hominibus glorificatis, & ab hominibus glorificatis magis quam ab eis in primo statu existentibus.

Ad secundum dicendum, quod perseverantia dupliciter dicitur. Uno enim modo est specialis virtus, cujus actus est habere propositum semper in bono permanendi; & talem virtutem Adam habuit, & multi qui post corruerunt. Alio modo est quædam circumstantia consequens virtutes alias; & sic non ponit specialem virtutem, sed continuationem quamdam virtutis usque ad mortem; & sic Adam in primo statu perseverantiam non habuit.

Ad tertium dicendum, quod plus indigenti Deus plus tribuit, dummodo sit magis ad recipiendum dispositus: alias non est verum. Tamen sciendum est, quod cum indigentia dicatur respectu finis, ut dictum est, non est dicendum, quod homo post peccatum magis egerit gratia quam ante. Illud enim ad quod per se gratia est ordinata, scilicet gloria, supra vires hominis est, sive ante peccatum, sive post peccatum. Unde quantum ad hoc non magis indiget post quam ante; sed quantum ad hoc ad quod per accidens gratia ordinatur, quod est remotio mali, magis homo post peccatum indiget: & per respectum ad gloriam attenditur mensura gratiæ, quia per gratiam majorem, majorem quis gloriam mereatur; non autem per respectum ad remotionem peccati, vel infirmitatis, quia minima gratia sufficit ad delendum omnia peccata. Unde non majori gratia indiget homo post peccatum quam ante; sed verum est quod ad plura gratia indiget, quæ tamen plura, quantalibet gratia facere potest.

Ad quartum dicendum, quod Deus ex malo semper majus bonum elicit; non tamen (4) illi de necessitate in quo malum esse permittit, sed in comparatione ad universum, cujus pulchritudo consistit

In II. Sent. Tom. II.

(3) Al. perfectionem. (4) Supple bonum.

ex hoc quod mala esse sinuntur. Bonum autem universi præponderat bono particularis rei, sicut bonum gentis est divinius quam bonum hominis, ut in I. Ethic. cap. I. Philosophus dicit.

Ad quintum dicendum, quod Christus ad hoc fuit passus ut hominis naturam repararet. Unde per passionem Christi non apparet quod majorem gratiam homo consecutus sit post peccatum quam ante fuisset sine ea, loquendo de gratia in ordine ad præmium essentialè: quia aliquod præmium accidentale homo per passionem Christi consequitur quod ante peccatum non habuisset, scilicet gaudium de victoria Christi.

ARTICULUS IV.

Utrum opera hominis sint magis efficacia ad merendam gratiam post peccatum quam ante peccatum.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod post peccatum opera hominis fuissent magis efficacia ad merendum quam ante peccatum. In primo enim statu homo sicut nec ad malum impellens aliquid habebat, ita nec a bono retrahens. Sed supra xxiv. dist. Magister dixit, quod primus homo resistendo tentationi non meruisset: quia nihil erat quod ad malum impelleret. Ergo similiter faciendum bonum, vel nihil, vel minus meruisset: quia nihil erat quod a bono impederet.

2. Præterea. Dicit Apostolus II. Timoth. II. 5. (1) Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Sed homo in primo statu non ita impugnabatur sicut post peccatum. Ergo nec ita coronam efficaciter merebatur.

3. Præterea. Ut Philosophus dicit in II. Ethic. cap. III. virtus est circa difficilia. Sed difficilius est homini post peccatum bonum operari quam ante. Cum ergo ex virtute procedat efficacia meriti, videtur quod ante peccatum actus hominis fuerint minus efficaces ad merendum quam post.

4. Præterea. Homo in primo statu fuit quasi medius inter statum Angelorum & statum nostrum, ut ex his quæ xxiv. dist. dicta sunt patet. Sed operationes Angeli non sunt ita efficaces ad merendum sicut operationes hominis: quod patet ex hoc quod inferior Angelus mereri gradum superioris non potest; sed homo potest mereri ut ascendat ad supremum ordinem Angelorum, ut ex dictis Gregorii patet in homil. de centum ovibus, seu homil. xxxiv. in Evang. Ergo & homo in primo statu habuit opera minus efficacia ad merendum quam post peccatum.

5. Præterea. Ut in I. Lib. dist. II. Magister dixit, homo factus est ad reparationem ruinæ angelicæ. Sed de quolibet ordine Angelorum aliqui ceciderunt, ut supra vi. distinct. dictum est. Ergo oportet quod qualitercumque vadat humana natura, sive in statu innocentie, sive in statu peccati, ad singulos ordines Angelorum aliqui homines transferantur. Cum ergo hoc non fiat nisi ex virtute meriti, videtur quod saltem non majoris efficacie ad merendum fuerint opera hominis in statu innocentie quam post peccatum.

Sed contra. Quanto aliquid est magis purum in genere aliquo, tanto magis habet virtutem illius generis, sicut ignis purus quam ignis commixtus. Sed merita nostra sunt admixta alicui demerito: quod patet ex hoc quod dicitur Esa. Lxiv. 6. Quasi pan-

(1) Vulgata: Non coronatur, nisi legitime certaverit. (2) Al. deest igitur.

nus menstruat omnes justitias nostras. Cum igitur in primo statu absque omni permixtione demeriti fuissent, videtur quod tunc fuissent efficaciora ad merendum.

Præterea. Quanto voluntas promptior est ad operandum, tanto homo magis meretur: II. Corinth. viii. 12. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. Sed in primo statu voluntas promptior erat ad bene agendum, quia minus impediatur. Ergo opera hominis magis erant efficacia ad merendum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum meritum non consistat in habitu, sed in actu, nec in actu quolibet, sed in eo qui per habitum gratie informatur, actus autem omnis meritorius ex voluntate procedat; oportet quod meritum aliquid habeat a gratia, & aliquid a voluntate, & aliquid etiam ab objecto actus, unde species actus trahitur: & ideo ex his tribus efficaciam merendi mensurari potest, ex gratia, voluntate, & objecto. Quanto enim majori charitate, & gratia actus informatur, tanto magis est meritorius: similiter etiam quanto magis est voluntarium, plus habet de ratione meriti, & laudabilis: similiter etiam quanto magis objectum est arduum, tanto magis est actus meritorius, cum semper intelligatur comparatio de uno cæteris paribus. Quod autem aliquod arduum augmentet rationem meriti, non habet ex difficultate laboris, sed ex bonitate: quia quanto aliquid melius est, tanto supra vires hominis operantis est magis elevatum. Quia (2) igitur homo in primo statu, ut dictum est, majorem gratiam communiter habuisset quam post peccatum, & promptior fuisset voluntas ad operandum, quæ resistantiam non habebat; sequitur quod opera hominis in primo statu simpliciter magis erant efficacia ad merendum quam post, dummodo circa idem objectum operatio consideretur utrobique; quamvis majori difficultate circa illud operetur homo post peccatum quam ante. Non enim arduum opus auget rationem meriti, nisi ratione bonitatis, & non ratione difficultatis, nisi per accidens, in quantum videlicet in id quod difficile est, majori attentione aliquis consurgit, & cum majori conatu voluntatis.

Ad primum ergo dicendum, quod non consentire tentationi in primo statu, si homo in naturalibus tantum consideretur, ut Magister hic loquitur, non fuisset homini meritorium. Sed hoc contingit ex hoc quod gratiam non habebat, sicut ex causa per se, & non ex hoc quod nihil ad malum impellebat, nisi per accidens, in quantum videlicet ex hoc quod homo non habebat impellens ad malum, magis poterat conservari a casu in peccatum sine gratia quam post. Vel dicendum, quod non consentire tentationi, dicitur dupliciter: vel ita quod importetur negatio tantum; & ita cum non relinquatur aliquis actus, non remanebit ratio meriti; & hoc potuisset contingere in primo statu propter hoc quod homo non cogebatur tentationem exteriorem discutere, cum interiori tentatione non urgeretur: vel ita quod importat actum voluntatis tentationi repugnantem; & sic resistere peccato semper est meritorium in eo qui gratiam habet.

Ad secundum dicendum, quod quamvis homo in primo statu non habuerit certamen interius, habuit

tamen certamen exterius: unde & victoriam habere potuit, quia coronam mereretur. Nec tamen est de necessitate meriti certamen contra aliquem impugnantem, quia sic in Angelis meritum non (1) inveniretur; sed de necessitate meriti est certamen quod quis contendit apprehendere aliquid quod supra se est, secundum quod, aliquis quasi viribus suis lucratur; nec oportet ut tibi est majus certamen, ibi sit majus meritum; sed ubi est magis legitimum. Contingit autem in minori impugnatione magis legitimum certamen esse.

Ad tertium dicendum, quod aliquid potest dici difficile dupliciter: vel ex arduitate operis; & sic virtus intelligitur circa difficile esse, quod scilicet in se difficile est, & arduum: vel ex imperfectione operantis; & sic virtus circa difficile non est, sed talem difficultatem virtus tollit: quanto enim aliquis virtuosior est, tanto facilius opera virtutis exercet. Nec tamen dicendum est, quod quanto virtuosior sit, minus mereatur. Et per hunc modum est difficultas major in operibus hominis post peccatum ex imperfectione operantis.

Ad quartum dicendum, quod hoc quod opera alicujus Angeli sint minus meritoria quam alicujus hominis, non contingit ex imperfectione Angelorum, sed ex conditione gratie: quæ quamvis in Angelis sit major secundum statum, quia propinquior fini, cum sit minor via Angelo data quam homini, ut supra dictum est; tamen gratia hominis potest esse major in virtute merendi. Angelis enim data est gratia ad determinatum gradum, secundum determinatum ordinem, promerendum; & ideo ulterius præmium per gratiam illam mereri non possunt. Homo autem cum ex conditione nature ad nullum ordinem determinetur, sed indifferenter ad omnes se habeat, accipit gratiam etiam indifferenter ordinatam ad promerendum gradum cujuslibet ordinis secundum genus suum: & ideo non oportet quod ratio ista homo in primo statu minus mereri potuisset quam post peccatum.

Ad quintum dicendum, quod quamvis homo nunc ad eundem terminum perveniat ad quem pervenisset ante peccatum, non oportet tamen ut æqualem efficaciam in merendo habeant actus ejus: quia quod tunc ex paucis actibus mereri potuit, nunc oportet quod ex multis actibus mereatur; ita quod per exercitium actuum in quamdam perfectionem crescat, secundum quam sibi competat meritum tanti præmii, quantum prius habuisset.

ARTICULUS V.

Utrum expulsio de paradiso, & privatio justitiæ originalis, sit conveniens poena primæ transgressionis.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod poena hominis inconvenienter in littera determinetur pro peccato primæ transgressionis. Illud enim quod propter hominem factum est, in aliquo homini servire debet. Sed paradisos terrestris propter hominem factus est, sicut alia creatura. Cum igitur homini inde ejecto in nullo serviat, videtur quod inde expelli non debuerit.

2. Præterea. Propter peccatum hominis, tota natura deteriorata est, quæ propter hominem facta

est, ut dicit Glossa (a) Roman. viii. Multo ergo magis locus ille in quo peccatum commissum est, scilicet paradisos terrestris, infici debuit. Sed homini infecto debetur locus infectus. Ergo post peccatum de paradiso terrestri expelli non debuit.

3. Præterea. Ut supra Magister dixit dit. xvii. paradisos terrestris de se locus inaccessibilis est. Ergo frustra apponuntur custodiæ, ne homo ad illum accedere possit, ad quem etiam sine illis pervenire non valeret.

4. Præterea. Homo post peccatum statum necessitati mortis addictus fuit. Sed ex quo necessitatem moriendi habuit, non poterat non mori. Ergo frustra Dominus dixit, Gen. iii. 22. Videte (2) ne forte sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.

5. Præterea. Lignum vitæ non habuisset majorem effectum in homine post peccatum quam ante. Sed homo ante peccatum de ligno vitæ edidit, ut in littera dicitur, nec tamen in æternum vixit. Ergo etiam licet post peccatum de eo comedisset, non in æternum vixisset.

6. Si dicatur quod lignum vitæ hunc effectum non habebat, nisi frequenter sumptum; contra. Causa multiplicata, non variat effectum secundum speciem. Si ergo semel sumptum immortalitatis causa non erat, videtur quod nec etiam si frequenter sumeretur.

Sed contra. Id quod innocentie debebatur, non debuit remanere, innocentia amissa. Sed locus ille, & cibus innocentie debebatur. Ergo post peccatum homo utroque privari debuit.

Præterea. Magis erat proprius locus Angeli cælum empyreum, in quo creatus est, quam hominis paradisos terrestris, in quo positus est homo extra ipsum creatus. Sed Angelus post peccatum de cælo empyreo dejectus est. Ergo & homo post peccatum de paradiso terrestri expelli debuit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ad felicitatem, seu ad beatitudinem aliquid pertinet quod est de substantia ejus, sicut visio Dei, gaudium, & hujusmodi; aliquid autem correspondet sibi per modum congruentie, sicut beatitudini Sanctorum respondet locus excellentissimus, qui est cælum empyreum. Ita etiam ad statum innocentie, in qua quodammodo homo beatus erat, ut dicit Augustinus xxii. de Civit. Dei, cap. xxi. quedam pertinebant quasi essentialiter sicut immortalitas, & obedientia virium inferiorum ad rationem, & hujusmodi; sed quedam alia pertinebant per modum cujusdam congruentie. Immortali enim vitæ, & ab omni inquietudine segregata debebatur locus temperatissimus, & deliciis plenus, qualis est paradisos terrestris. Unde sicut post peccatum dejectus est a statu illo innocentie, in quem elevatus erat supra conditionem nature suæ absolute considerate; ita etiam & locum amisit qui illi excellentie debebatur, & in locum ubi formatus fuerat, dejectus est.

Ad primum ergo dicendum, quod paradisos terrestris quamvis non serviat homini quasi in usum ejus veniens, servit tamen sibi ad instructionem ejus proficiens, sicut homo ex hoc ipso quod in Scriptura

(1) Al. inveniremus. (2) Vulgata: Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ &c. Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Minus expresse quoad verba, æquivalenter tamen quoad sensum, ex Ambrosii suppositio commentario super illud, Scimus quod omnis natura ingemiscit.